



# Disputatio medica inauguralis de diabete

<https://hdl.handle.net/1874/345219>

17.

DISPUTATIO MEDICA  
IN A U G U R A L I S  
D E  
**DIABETE.**

Q U A M  
SUMMO NUMINE AUSPICE,  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. JOHANNIS LEUSDEN,**

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &  
Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,

*eruditorum examini subjicit*  
**ISAAC de ROCAMORA, AMSTELOD.**

*Ad diem 27. JUNII, hora loquoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lcc xciii.



*Excellentissimo expertissimoque VIRO,*

D. SALOMONI de ROCAMORA,  
Medicinæ Doctore strenuo, Parenti meo dilectissimo, in  
celeberrima Amstelodamensi Urbe, practico acceptissimo  
felicissimoque; filiali amore, & obsequio, omnibusque  
culis officii in perpetuum venerando,

NEC NON

D. ABRAHAMO de MEDINA,  
Medicinæ Doctore egregio, præceptori meo Colendissimo;  
apud Amstelodamenses Practico eximio summa bene-  
volentia honorando, in seculum perdurando,

*Dominis Affinibus meis Charissimis*

D. DAVID GAON;  
D. ISAAC de ACOSTA ATHIAS,  
Mercaturam Amstelodami summa solertia, probitate, ac  
prudencia excercitibus; fraternali amore in œvum profe-  
quendis,

*Viris Dignissimis ac Generosis,*

D. MOSSEH de ROCAMORA;  
D. SALOMONI TOIRO;  
D. JACOBO de LIMA,  
Patruo, & Avunculis meis ingenuo amore ac humanitate  
perenne colendis.

D. JOSEPHO de PINTO,  
in Studiis meis Contubernalis, fidelissimus Comis, ac sin-  
gularissimus Confortius, magnæ spei Juveni præclari in-  
genii, summa amicitia in sepiternum observando fovendoque,

*Hasce studiis mei primitias, gratitudinis & observantia*

*Causa sacras facit*

ISAACUS de ROCAMORA.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE.

THESIS I.



Diagnosus si quis est affectus (licet rarus) non inmeritò diabetes inter ipsos recensendus, sed cum difficilis valde tanti morbi engerefis videatur, cum non minima inter authores, qui de illo hactenus scripsere de formali causæ constitutione essentiavè ambiguitas observetur, placuit mihi, quamvis temerè, nostræ disputationis thema inaugurale præ aliis feligere.

I I.

Celerrimum immoderatum illud urinæ limpidæ copiosissimum profuvium cum in explebeli site, totiusque corporis colliquatione, nec non febre hectica conjunctum, *diagnosus* diabetes æquè ab omnibus exclamatur.

I I I.

Sed non pariter omnes de immediatæ tanti morbi natura, aut formali constitutione causæ inter se convenire experior; cum veteres, obtrusè valde, calidissimam renum intemperiem atratricem facultatem depravantem hujus morbi causam, ab omni probalitate destitutam, noscere fatentur; alii laxam pororum renum texturam, qua toti liquori



liber permittitur exitus, causam accusant; licet uterque modum quo tale phœnomenum modo ab ipsis explicatum deduci queat, aut ritè intelligi possit, silentio prætermisere, penitus de impossibilitate internarum partium solidarum læsione, absque fluidorum prævia alteratione & mutatione obliti, aut naturalis corporis humani œconomiae cognitione destituti. Neotericos ambiguos & ancipites, in extricatione tantæ difficultatis, & vix inter tot duos ejusdem consensus observo; Quare cum animus non sit aliorum opinionum refellere, sed propriam mentem examini exponere, quidquid de cognitione nostræ problematis sententiam libentissime, quamvis timidus proferam.

## I V.

Laxam dissolutam ve, instar deliquii, lymphæ & sanguinis partium constitutionem hujus phœnomeni immediatam causam esse non præter rationem arbitramur, si modo omnia phœnomena ex ipsa facile deprimere valeamus.

## V.

At quoniam partium sanguinis debita & naturalis cohesio, non nisi a peregrina violenta admodum Causa possit destrui, qualis nam sit ista? non aliam præter acrem salinam ve discrasiam, qua sanguis scatet, esse opinamur, quamvis modus quo per salis excessum aut ipse à suis vinculis extricatione sanguis ad tantum deliquium feratur, hucusque lateat, nec non cujus indolis sal illud hocce secessum procurans sit; inferius postea videndus.

## V I.

Si experimentis incumbentes vera fateri cogamur, salia fixa Alkalina nec non nitrosa diuresim potenter excitare, quotidiana experientia edicti, audebunt nulli negare, cum  
crassa,

crassa, viscera, aquosa, nec minus oleosa dissolvere possint; hac de ratione si ob propriam sanguinis temperiem, aut depravati victus rationem salinis istis particulis refertus sanguis sit, quacumque demum de causa cogantur salia vincula quibus annectuntur deserere, sui juris facta violentos in partes sensiles peragendo motus, sanguis magis ac magis atteritur, nec minus suis acutis spiculis sanguinis & chyli particulas perfricando, frangendo ve, tandem tandem hocce progressu motu, quaecumque in sanguine partes dissolutioni proclives inveniuntur, facile in deliquium vertuntur; aquae formam æmulantes, quæ intrepide valde, ac celeriter ad renes depluentes, majorem quam oportet pororum dilatationem procurant, qua citius, & velocius dilabitur humidum, morbi periculum festinantes.

## V I I.

Exaltata salia, quæ volatilia chymici appellant, exactiorem sciendi urinas virtutem possidere, quam fixa, vehementior ipsorum motus & activitas planè demonstrat, majores per consequens sanguinis fusiones peragere posse, indubitabile omnibus est; Quare potius salii fixo, & nitroso causam diabetis præbemus? objiciet aliquis; Verum quamvis salia volatilia disuresin promoveant; tamen sudores copiosos frequentius movent, quod magis ipsis propriam, quam salibus fixis, propter majorem sanguinis exaltationem a majori motu subtilioris materiæ, sed cum sudores nulli in tali morbo observentur, nec febres ardentes, sed mitissime potius, ideo salibus fixis sententia nostra nititur magis, quamvis alterum contingere posse inficias minime ibo, cum salia fixa sudores nonnunquam sat exuberantes alliciant; videtur ergo faciliorem aut difficiliorem sanguinis dissolutionem, ab æctiori, laxiori ve unione aut textura ipsius nec non fortiori aut mitiori agentis activitate dependere.



Neque a salibus diversæ figuræ sanguinem suam posse demittere texturam mirabitur ullus, si modo phœnomena ab experientia deducta attendat, Falice experiri poterit, unicum & idem corpus, caphuram, scilicet, diversissimis planè contrariæ naturæ menstruis dissolvi, oleis, spiritibus acidis, spiritu vini rectificato, nec non spiritu salis ammoniaci, nec minus gummata, acidis, aceto nempe, ut & alcohol vini, & ex ipsis aliqua oleis suam texturam demittunt. Plura alia experimenta pro stabilienda opinione proferre potuissim, nisi brevitati studerem, pro cuius dilucidatione unum vel alterum sufficere videtur, dummodo in experimentis fideliter loquamur.

III V  
IX.

Nunc symptomatum rationes ex nostro opinandi modo haud difficile nobis erit delimitare, si modo dictis stemus, præcipua quæ hunc morbum comitantur, sunt incompe- scibilis sitis, (ob quam dyspnoea iste affectus à medicis etiam nuncupatur) Urina aquosa alba melliti saporis, atrophiam totius corporis, febris hæctica, nec non spasmodici motus aliquoties, præcipuè ante Urinæ profusivum.

X.

Sitis, & tabis eadem militat ratio, si tantum humidi per urinas profusionem animadvertas, qua reliquus sanguis Crassissimus, permanens, immobilis inde & impermeabilis humectationi & nutritioni ineptus prorsus relinquitur; qui ante ipsius liquationem salibus imprægnatus, mirum non videbitur si genus nervosum vellicando, convulsivos motus aliquando pariat, nec non febrem, cordis & arteriarum celeriore motum fovendo, ob majores in ipsis vellicationes

pro-

3 A

pro-



productas, & post tanti humidi privationem residuus sanguis torridus existens, calcis instar, in summam contabescentiam corpus perducit.

X I.

Non minima nec contemnenda se offert nunc difficultas de urinarum sapore milito, si modo conclusionem nostram à salibus deduximus, falsi potius saporis quam dulcis palato se offerre deberent; sed res per ardua non est dubium denotare, si sedulo contemplemus, salia, diversos sapes coloresve corporibus largiri secundum modificationem diversam quam distinctis accipiunt corporibus, & variam in ipsis intricationem, ex quo satis liquet salia extricata partium solidarum succum alibilem depascens, in ipso tanquam ramoso viscoso intricari, diversamque configurationem accipere, unde dulcis sapor deducitur; nam si experimentis ducti liceat loqui, saccharum commune dulcissimum gustui apparet, saccharum saturnum sub dulce, vulgare sulphur inspidum quasi, ex quibus corporibus destillatis sat larga copia spiritus acidi deducitur, quibus videre licet, diversum quid valde esse salia ipsa per se considerata, ac corporibus anexa, quibus diversimode combinat, diversas præbent qualitates.

X I I.

Satis ex relatis præmissis patet, profluentem aquarum evacuationem per urinas morbum non esse sed morbi symptoma; Cum à sanguinis diliquio originem ducat, quod morbus est, à salium superabundantia ortum ducens.

X I I I.

Hactenus, tanti hostis, accurate satis, intrinsicas & immediatas causas præstitimus, & sedulo dilucidavimus, nunc series



series causarum de externis seu procatharticis agendum exposcit, quas usum acidorum, aut aromatum, animi pathemata merorem præcipue, Cœli constitutionem, exercitium immodicum, & reliquas non naturales causas ad hunc morbum perducere posse, pauci dubitant; tonum sanguinis & spirituum permutando, five adaugendo, fovendo, præcipitando, auferendove, licet modum quo qualibet causa hoc perficere valeat; seorsim demedullare; tædiosum lectoribus & nobis foret; quamvis non difficile de qualibet rationem reddere.

## XIV.

Ex præscripta definitione signa morbi depromere possumus, licet causarum signa ex alia fonte deduci debeant, exacto, videlicet, ægrotantis exanime de vita prægressa circa victus rationem, natura, ex ipsius temperiè, nec non de erroribus in rebus non naturalibus commissis.

## XV.

Morbi præfagium funestum quidem expectandum, si altas morbus egerit radices, cum subita adeo liquatio sanguinis, & corporis præceps atrophia æque celeriter auxiliari haud facile sit, ob nimium naturæ præcipitum, & virium paupertatem; non tanti vero momenti, si incipiente morbi auxiliares manus præbeas; parcere ægrotantibus aliquando solet.

## XVI.

In curâtionè diabetis à medendi communi semita deflectere non cogimur, cum nulla morbi symptomata sibi peculiarem exposcant indicationem, sed causæ ideam sequantur; idcirco ab ipsius debellatione inchoare medelam debemus, qua simul symptomata debellamus.

Sed

XVII.

Sed quoniam in causarum varietate à vulgari Medicorum consensu recedere videamur, peculiarem medendi rationem ex nostro meditando modo pro causarum varietate signare constringimur, quamvis in multis una sentiamus.

XVIII.

Dissolutam sanguinis texturam sibi inditam unionem indicare, compertum omnibus est, sed quibus medicaminibus compleri possit, æque omnibus minimè notum, cum pariter omnes adstringentium usu absolvere curationem continentur, a nimio urinarum fluxu indicatione sumpta; sed cum sanguinis deliquii distinctas noscamus causas, ipsis assentiri non possumus.

XIX.

Si ab exaltato sanguine videatur morbum suam ducere originem, incrassantium & moderatè adstringentium usum valde utilem indicamus; interquæ mucilaginosæ, viscosæ, terrestriæ, testaceæ, acidiusculæ præstantissimas obtinent vires, sanguinis deliquium coercendi, congruam ipsi cohesionem præbendo; saliaque deprimendo, quæ si fixa sint acidis dulcificatis ipsorum acrimonia demulcetur; sed si ab acido ortum habeat; terrestriæ, testaceæ, mucilaginosæ & viscosæ pariter communia medicamina existunt, acidum involvendo; sed præterea, balsamica oleosa, & spirituosa, nec non salia Alkalina præstantius enervando & dissolvendo acida, curant; hocce modo quascumque sanguis præcipitationes prohibendo deperditam unionem recuperare cogunt. Nec res ardua lectoribus videatur, si modo acria acris corrigantur, quod experimentis quotidianis non refragatur, spiritum nempe vini, acetum, & quæcumque

B

acida



10 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

acida mortificare, nec non Salia Volatilia & fixa, terrestria  
ve, cum quibus maximam effervescentiam ineunt.

X X.

Sanguinis missio nullum videtur locum habere incur-  
tione istius affectus, cum sibi comitem symptoma innani-  
tionis habeat, & morbi causam non respiciat; nisi fortè  
incipiente morbo, florente ætate & Cœli constitutione,  
plenitudo adsit: nec Cathartica, ob eandem rationem ad-  
mittenda, cum majores sanguinis præcipitationes & feri  
privationem arceant, quod penitus in hoc morbo caven-  
endum; sed si alicujus sarcinæ in prima regione suspicium  
adsit, temperata sub adstringentia usurpanda veniunt, cum  
morbi curatio magis in depravatæ qualitatis sanguinis cor-  
rectione consistat, quam in evacuationibus propter tabem  
sibi proximam.

X X I.

Victus ratio incrassans maximè juvat, nec non lactis usus  
sanguinem demulcendo, & balnea proficua judicamus ob  
corporis atrophiam, & salium dissolutionem quam perfici-  
ciunt; sed si ab acido ortum gerat morbus, lactinia arcen-  
da, usque quod acidum enervetur, postea vero conceden-  
da, ob corporis contabescentiam: hacce methodo felicissi-  
mè curaturam diabetem speramus:

En vobis benevoli lectores quæ de essentia, causis cog-  
nitione & curatione sentio hætenus de diabetica passione,  
usque quod progressus experimentorum contrariam cogat  
mutare sententiam; interim vero conjecturam nostram  
amplectemur: & gratas vobis futuras spero.



## COROLLARIA.

Nulla lesio internarum partium solidarum  
possibilis; absque prævia fluidorum mu-  
tatione.

I I.

*Salia Alcalina non semper dissolvunt,  
sicut neque acida coagulant semper.*

I I I.

*Dissolutio & coagulatio corporis, ab ar-  
tiori aut laxiori corporis textura sali-  
bus ingressum denegante aut concedente  
dependere opinamur.*

*Spiritus*



I V.

*Spiritus nulli prater animales distincti,  
aut infiniti concedendi.*

V.  
COROLLARIA.

*Morbis est lesa partium fluidarum aut  
solidarum figura.*

Nulla lesa partium fluidarum  
aut solidarum figura.

FINIS.



Spiritus